

rum, simile rursus certamen adgressi gloriosi coronam
martyrii acceperunt. Quod si unusquisque eorum, quos
enumeravimus, propter adversa principia desperando
25 cessisset, nunquam ad sequentium voluntatem et ad
fructum bonorum pervenire potuisset. Similis profecto
res est frater carissime; ideoque considera ne, quia pau-
lisper te communis inimicus eo ubi bene est et eras loco
movit, idcirco et ipse te totum ad praeceptis quod videtur
30 impellas. Persiste, immo magnanimis esto, et unde extu-
leras pedem revoca, neve ignominiae vel opprobrii genus
credas exiguam hanc parvi temporis plagam. Neque enim
reprehenditur miles cum de proelio revertitur vulneratus,
sed reprehensibile magis semper ac turpe est arma depo-
35 nere et servitutis iugum subire captivum. Quamdiu
autem quis in conflictibus perseverat, sive pro tempore
cadat ille seu fugiat, nullus usque adeo ingratus ac durus
et bellicae disciplinae expers erit, qui vituperet denuo
dimicantem. Non pugnantium quippe est non vulnerari.
40 Quicumque autem iracundia pertinaci in hostes feruntur
aut cadere nonnunquam videntur aut cedere. Quod qui-
dem nunc tibi pervenisse non miror, qui dum subito ser-
pentem occisurus insequeris, minime morsum tetri dentis
evadis. Verum si constantior redeas et sobrio, ut convenit,
45 paululum corde confidas, non solum et ipsa vestigia
impressi ulceris repente delebis, sed divinitatis auxilio
etiam caput dirum scelesti anguis exstingues. Neque illud
te forte terruerit, quod tam subito et in exordiis viae
refrenatus tibi cursus videtur et impedita principia. Vidit
50 sine dubio, et velociter vidit, oculus hostilis non modica-
rum in sensibus tuis signa virtutum et hic invictum debel-

1. Christianus